

libus, fieri oportere assereret; ausus suos Spiritui sancto committit, et orationi incumbens; cœlitus elapsa virtute Satanam in spiritu fortitudinis increpat et fugat, mulieremque reddit incolumem et quietam. Lætantur qui aderant, et levantes manus ad sidera; Deo qui de excelso eos visitavit, gratias agunt. Auditum est hoc verbum, et percerebuit fama, et repente totam percudit urbem; per ecclesias, per prætoria, et per compita omnia conveniunt undique: de Viro Dei sermo habetur ubique; dicunt publice, nihil ei impossibile esse quod a Domino postulet, et ad preces ejus apertas. Dei aures dicunt et credunt, prædicant et affirmant. Nec possunt aspectu ejus, vel auditu ullo modo satiari. Irruunt alii in præsentiam ejus: alii, donec exeat, pro foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis et artibus, tota civitas in hoc spectaculum suspensa manet: concurrunt, postulant benedici; et tetigisse eum singulis salutare videtur.

11. Tertia die ad ecclesiam sancti Ambrosii divina celebraturus mysteria Servus Dei procedit: ubi expectante innumera populi multitudine, inter ipsa missarum solemnia, dum clericis canentibus ipse secus altare sederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu **1197** vexabat diabolus, orant ut misellæ subveniat, et diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione astantium, et intuitus personam freudentem dentibus et stridentem, ut etiam intuentibus esset horrore, compassus est ætati, et vehementiæ anxietatis ejus condoluit. Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat mysteria, accipit: et digitis laticæ superfuso, orans intra se, et de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, et corpori ejus stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi uretetur Satanus, infusionis illius virtutem ferre non potuit, sed urgente intrinsecus crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic purgata persona, diabolo profugo et confuso, laudes debitas Deo canit ecclesia: et post acclamations lætabundas alacer populus ibidem, donec divina compleantur mysteria, immobilis perseverat. Sub aspectu itaque omnium incolumis puella a suis domum reducit, et vix tandem a populo dimissus ad hospitium Viri Dei revertitur.

12. Divino judicio ea tempestate in Mediolano, juxta Isaïæ verbum, pilosi clamabant alter ad alterum, et occurrebant onocentauris dæmonia, (Isa. xxxiv, 14), et effrenatis decursibus plurimos infestabant: nec erat qui insolentiæ eorum resisteret, cum diu sub Anselmi schismate, qui Patri fautor Mediolanensem occupaverat cathedram, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, sanctificationes maledictæ, altare pollutum iram Dei in populum provocassent. At vero in adventu Viri Dei abdicatis Anselmi præstigiis, et in Sedis apostolicæ obedientiam sub Innocentio revocata ecclesia, impedita est illa dæmonum licentia, et quotidie dabat locum, et ad preces Viri Dei diffugiebat diabolus: et si quando resistere

conabatur, in ipso conflictu succumbens gloriosus vincebatur.

CAPUT III.

De expulsionem dæmonum a variis obsessis, tum virtute Eucharistiæ, tum panis et aquæ benedictæ, tum signi crucis. Item de aliis curationum beneficiis.

13. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva, civis Mediolanensis, et honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii post beatum Virum a multis tracta est; in cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, et jam ita suffocaverat eam, ut visu et auditu et verbo privata, frendens dentibus, et linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fetidus, inhabitatoris Satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei et inviscatum (*Al. invisceratum*). diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, et clericis, et monachis secum juxta altare consistentibus mulierem ibidem jubet constitui et teneri. Illa vero reluctans, et vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria, ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansueti ille contempsit: et ad expulsionem non indignatione iræ; sed pacifica et humili supplicatione Deum invocat adiutorem, et ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam et ille malignus, quoties adversus eum signum crucis intenditur, percussus se indicans, acrius sævit, et recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus.

14. Expleta autem oratione dominica, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, et mulieris capiti superponens, talia loquebatur: « Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas. Jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus: *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras* (Joan. xii, 31). Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumultu jacuit, quod de morte **1098** surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas. » Cumque eam invitus deserens, et manere ultra non valens, atrocius afflicteret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens; rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit; et confestim pax et salus integra reddita est mulieri. Sic ille nequam, divina mysteria quantæ sint efficientiæ

et virtutis, non confessione, sed fuga coactus ostendit. Fugato diabolo mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, rediit cum ratione sensibus, revoluta intra fauces lingua, Deum confessa gratias egit, et intuita curationem suam, pedibus ejus advoluta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicuntur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, et Servum Dei supra hominem, si dici fas est, liquefacta charitate civitas veneratur.

15. Audiebantur hæc quæ Mediolani fiebant: et per totam Italiam Viri Dei discurrebat opinio, et divulgabatur ubique quod surrexisset propheta magnus, potens in opere et sermone, qui invocato Christi nomine, et infirmos curaret, et obsessos a dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat, quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat, et majorum operatio virtutum minores obscurabat effectus. Jam vero præ frequentia populi qui a mane usque ad vesperam foribus assidebat, oppressionem vulgi præ corporis imbecillitate non ferens, ad fenestras domus procedens, se eis conspiciendum præbebat, et elevata manu benedicebat eis. Panes quoque et aquam devehebant secum, quibus benedictioni ejus suppositis, pro beneficiis ea sacramentalibus referebant. Ex vicinis sane castellis, et vicis, et urbibus multi confluebant, et communia tam advenarum, quam civium in Mediolano studia erant prosequi Sanctum, expectere beneficium, audire verbum, videre signum; et doctrina et miraculis ultra quam credibile est, delectabantur.

16. Aderat inter eos quidam ex suburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc advexerat: qui repente coram omnibus ad signum crucis, quod Vir sanctus edidit, de bajuli sui brachiis ruit, et elisus humi quasi mortuus sine ullo sensu immobilis visus est: neque vox, neque halitus erat in eo, tantum circa præcordia exiguus ei supererat vapor. Dant igitur cæteri locum ut posset procedere, et admitti ad Virum Dei seminecis pueri bajulus; et attonita multitudo tam miserabilis casus præstolabatur eventum. Ingressus igitur ad Virum Dei homo est, et puerum stupidum, nec aliquid sentientem ante pedes Abbatis exposuit, et ait: « Puer iste, domine pater, quem ante tuos posui pedes, jam per triennium a dæmonio acerrime vexatus est: et quoties vel ecclesiam ingreditur, et salibus exorcizatis aspergitur, vel signum ei crucis imponitur, vel Evangelium audire compellitur, vel divinis interest Sacramentis, offenditur habitator ejus diabolus, et torquetur atrocius. Dumque modo cum cæteris ego pro foribus expectarem, signum sanctæ crucis figurante te, et extendente in populos sacramentalium signorum virtute exacer-

batus diabolus, vehementius solito totus ad pueri vexationem se contulit: et sicut vides, totum corpus ejus occupans, fere ei etiam vitalem spiritum intercludit. Sed et ipse puer, cum audita esset apud nos gratiæ, quam a Deo accepisti, opinio, ex aliorum curationibus suam sperans salutem, rogavit me ut eum ad te adducerem. Obsecro igitur per misericordiam Dei, ut et laboribus meis, qui in ejus custodia operam damnosam et periculosam impendo, et illius miseriæ, quæ tanta est, quantam ipse oculis probas, pio et consueto affectu subvenias, et rabiem dæmonis non usquequaque procedere patiaris. » Flebat igitur, et lacrymis ora perfusus præsentem quosque commovit, ut omnes pariter supplicarent.

1099 17. Tunc Vir Dei confidere eos in Dei misericordia jubens, baculo cui innitebatur colulum pueri leniter tangit. Sed et frater ejus Gerardus volens experiri quæ ab homine dicta fuerant, latenter dorso ejus signum crucis impressit. Cumque prius sine motu et sensu nec videns, nec audiens, ante pedes Abbatis diu extensus pavimento hæsisset; ad tactum baculi et ad signum crucis infremuit, et turbatus ingemuit. Jubet igitur Abbas super proprium lectulum eum poni. At ille quasi ex injuria offensus rejecit se in pavimentum, et stridebat dentibus, et mordebat procuratorem suum: et capillis eorum qui aderant, manus injiciens, quo poterat conatu se ab eorum manibus abstrahere, et ab eis vix teneri poterat. « Eia, » inquit Abbas, « ad lectum nostrum eum reduce. » Orante itaque Abbate, et fratribus in oratione prostratis, quasi ardentibus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus ureretur, tormenti æstuantis, vi divina propinquante, passionem clamoribus testabatur, Jubet igitur Vir sanctus aquam benedictam in os patientis infundi: quam ille pressis labiis et dentibus non admittens, vix tandem cuneo infixo dissolvente pressuram, vellet, nollet, intra fauces et guttur recepit. Confestimque ut penetrans sanctificatio ad interiora descendit, quasi infuso antidoto vis maligna erupit, et vomitu sordidissimo, quasi torrentis impulsu, festina præcipitatione rotatus cum ingenti contumelia dæmon exivit. Repente qui videbatur mortuus, vivit: et de lecto Abbatis quietus et incolumis surgens patronumque [*Al. patrum*] suum amplexatus, « Deo gratias, sanus sum, » inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo et qui modo flebant, lætantur. Foras clamor effunditur, res intus gesta super tecta solemniter prædicatur, tota ad spectaculum convenit civitas, benedicuntur Deus, gaudet populus, in Abbate tanti operis patratore totius plebis requiescit affestus.

18. Fabricitantibus multis idem Sanctus manus imponens, et aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit: aridas manus, et membra paralyti dissoluta tangens incolumitati restituit: cæci etiam sub multorum testimonio in

eadem civitate ut viderent, imposito signo crucis, a patre luminum potenter obtinuit. Per idem tempus hospitium Albanensis episcopi (37), quem dominus Papa in eadem legatione sibi collegam dederat, gratia tractandorum negotiorum intraverat, et de his quæ injuncta fuerant conferebant: cum repente irruit super eos adolescens cujus manus arida erat, et retorta ad brachium; et advolutus pedibus ejus suppliciter postulat sanitatem. Ille alias occupatus, benedixit quidem, et abire præcepit, et ne amplius sibi molestiam faceret, verbis solito severioribus interdixit. Recedebat ille non consecutus quod quæsierat: cum venerabilis episcopus sub omni celeritate eum regredi jubet, et manu arreptum tradit Abbati. « Huic, inquit, qui minime beneficium consecutus, tibi, ut discederet, obedivit, tu ne claudas viscera misericordiae: quin potius tu obedi, et virtute obedientiae me jubente astrictus, fac quod postulat, largire quod petit; et confidens in ejus virtute, per quem expetit sanitatem, postula, et impetrabis; ut et nos de Dei munere, et ille de optata gloriatur salute. »

19. Ad præceptum episcopi Abbas, apprehensa pueri manu, invocavit Dominum, et exaudivit eum; et signo crucis edito, nervi qui obriguerant, extensi sunt, et caro quam assiduus [al. assidens] congelaverat morbus, redeunte sospitate ingenta, mobilis facta est et flexibilis, et dicto citius languidum diu membrum convaluit. Obstupuit episcopus tam repentinae virtutis admirans effectum, et ampliori etiam extunc veneratione Virum Dei coluit, et miraculorum illius ipse testis existit et relator. Compulit autem eum, ut ibidem ea nocte cenaret. Cujus rei assensum cum magna difficultate obtinuit, ea duntaxat ratione suasum, quod intolerabilis undique populus expectaret; nec sine periculo posse egredi videretur. Inter cenandum vero paropsidem, in qua Abbas comederat, episcopus ministro familiari servandam tradidit, et præcepit ut seorsum reconditam cum omni diligentia custodiret. Elapsis exinde aliquot diebus, episcopus idem febrium vehementi ardore corripitur: et recordatus

1100 Hominis Dei, familiarem jubet accersiri ministrum. « Discum, » inquit, « Abbas, quem tibi nuper tradidi conservandum, huc afferre ne cuncteris. » Cumque ille obtulisset allatum: « In funde, » inquit, « aquam in eo, et panis exiguas buccellas conscinde. » Quod cum factum esset, confidens in Domino, et Abbatis precibus se commendans, comedit et bibit, et absque ulla dilatione convaluit.

20. Augebatur adventantium numerus, et mirifica opera ad se populos invitabant; nec usquam Viro Dei dabatur requies, dum ex ejus lassitudine alii sibi requiem procurarent. Abeuntibus occurrerant advenientes, et succedebant sibi beneficia mendicantes. Inter quos miles quidam in ulnis suis puellulam ad Virum Dei attulit, quæ ita exosam

(37) Matthæi, de quo supra, num. 9.

lucem habebat, ut semper clausis palpebris etiam brachium opponeret oculis, ne aliquo modo aliqua lucis particula se ei ingereret. Avellebantur aliquando opposita brachia violenter, et cum se ei lumen infunderet, clamabat et flebat, et erat ei claritas pro cruciati, et lux visa quasi aculeos ejus cerebro infigebat. Benedixit infantulae Vir Dei, et signaculum crucis faciens super eam, tranquillior dimittit: et dum domum referretur, ultro aperit oculos, et pedes sine vectore ipsa revertitur. Et ipso in loco mulieri a demonio vexata, multis astantibus, a Patre misericordiarum idem Sanctus obtinuit sanitatem.

CAPUT IV.

B De demoniacis curatis, et mira humilitate Bernardi, inter tot illustra opera æque semper de se modeste sentientis.

21. Jam Papiam advenerat, et fama virtutum adventum ejus præcesserat, et cum debito gaudio et apparatu tantæ gloriæ Virum civitas lætabunda suscepit. Et ne diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre; advenit repente post eum rusticus quidam qui de Mediolano secutus eum fuerat, uxorem demoniacam secum adducens, quam ante pedes ejus lacrymabili voce intrinsecas protestans anxietates deposuit. Nec mora, in contumeliam Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, et irridens servum Dei:

C « Non, » inquit, « me de canicula mea hic porculos edens et brassicas devorans pellet. » Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blasphemis provocatus, impatienter ferret opprobria, et confunderetur in præsentia populi, cum indignis se audiret sermonibus lacerari. Sed Vir Dei astutias ejus intelligens, irrisorem irrisit, et ultionem non ipse expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri demoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Martyri, et primitias operationum virtuti ejus ascribi. At vero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium, nec in ecclesia sua quidpiam sibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriciente per os ejus diabolo, et dicente: « Non me » Syrus ejiciet, non expellet Bernardulus. » Ad hæc servus Dei respondit: « Nec Syrus, nec te » Bernardus ejiciet, sed Dominus Jesus Christus. » Et conversus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tum vero spiritus nequam, velut priori improbitate mutata: « Quam libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter molestus in ea, quam libens egrederer! sed non possum. » Interrogatus causam: « Quia necdum vult magnus Dominus, » ait. Cui Sanctus: « Et quis est magnus Dominus? » Et ille: « Jesus Nazarenus. » Ad quem rursus Vir Dei: « Unde enim Jesum nosti, aut si unquam vidisti eum? — Vidi, » inquit. « Ubinam eum vidisti? — In gloria. — Et tu in gloria fuisti? »

— Fui quidem. — Et quomodo inde existi? — Cum Lucifero, inquit, multi occidimus. » Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem Abbate sancto: « Nunquid non in illam redire gloriam velles, et restitui in gaudium pristinum? » rursus voce mutata, et miro modo cachinnans: « Hoc, » inquit, « tardatum [al. tardum] est. » Et nihil ultra locutus, orante attentius Viro Dei, nequissimus 1101 ille victus abscessit, et mulier sibi reddita quantas potuit gratias egit.

22. Revertitur igitur vir cum muliere, et per totam viam incoluntati ejus congaudens, expectantibus amicis domui suæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei gestæ audierunt; sed repente gaudium vertitur in mœrorem: quia ubi domus suæ limina mulier attingit, rursus in eam intrat diabolus, et infestior solito miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum demoniaca molestissimum, relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, et assumpta secum muliere, rursus Papiam revertitur: ubi cum Virum Dei non invenisset, usque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat quid factum sit: et ut gratiam inveniat, lacrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia; sed præcipit ut ecclesiam civitatis illius ingrediatur [et ante confessorum corpora] orans expectet, donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse uno tantum prosequente ecclesiam ingreditur, et tota nocte illa orationi vacans, obtinuit a Domino quod petebat: et impetrata mulieri sanitate, jubet eam securam reverti ad propria. Sed cum illa reditum ad se diaboli, sicut jam experta fuerat, formidaret, collo ejus alligari chartulam hæc verba continentem præcepit: « In nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, daemon, ne hanc amodo mulierem præsumas contingere. » Quod mandatum sic expavit diabolus, ut mulieri regressæ ad propria nunquam deinceps appropinquare præsumperit.

23. Erat etiam in eadem civitate demoniacus quidam, cujus passio multos ad risum movebat, cum alii qui severioris animi erant, clementissimo ei compaterentur affectu. Hic ita latrabat, ut si audires, nec videres personam, canem crederes. Quem sibi exhibitum Vir Dei cum latrantem audisset, ingemuit: qui eo modo latrabat, quo solent percussi vel obruti canes irasci, et ringere [al. fremere] in percussores. Sed et in præsentia Viri Dei anhelans et latrans, acrius solito turbabatur. Increpato itaque diabolo, et in virtute Christi expulso, homini imperat ut loquatur. Purgatus homo intrat ecclesiam, interest sacramentis crucis signo se munit, audit Evangelia, confitetur et orat, et cætera sanæ mentis officia Deo reddit et consecrat.

24. Cum secundo per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret, oblata est ei demoniaca

mulier. Nam eo tempore aberat, quo primum Vir Dei civitatem prædictam sua illustravit præsentia. Hanc possidebat dæmonium, quod modo Italica, modo Ibera lingua loquebatur; nec satis certum, utrum unus esset bilinguis, an duo, sui quisque sermonis idiomate utens: sed tam proprie modo hæc, modo illa sonabat, ut diceres: Hic qui loquitur, Ligur est, hic Hispanus. Hæc etiam genuum passione, et poplitis tremore perturbabatur. Quæ cum ad Virum Dei adducta fuisset, saltu concito scammum in quo sedebat inopinata celeritate transiit. Reducta et interrogata quid sibi vellet et saltus, et fuga, et unde ægrotanti et vetulæ tanta virtus et velocitas advenisset: respondit hanc sibi agilitatem ex præsentia inesse diaboli, et currentes comprehenderet equos, et eorum dorso sine ullo adminiculo insiliret. Hæc sequenti die dum in ecclesia divinis quæ ille celebrabat officiis interesset, crudelissime et diutissime coram omnibus vexata est. Compassus Abbas mulieri, jam sæpe in talibus expertus Dei clementiam, imperat diabolo ut recedat. Ille ad imperium Servi Dei tremebundus evanuit: mulier vero non solum a vexatione, sed etiam a nervorum contractione in momento convaluit. Hæc et alia multa intra Alpes constitutus operatus est Vir Dei, et diversa loca perlustrans beneficiebat iis qui infirmabantur: illuminando cæcos, erigendo debiles, curando febricitantes, maxime oppressos a diabolo diligentiori studio purgans, et quæ malignus fœdaverat spiritus pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat.

C 22. Plurima autem in eum probabilia et laude digna concurrunt. Alii namque doctrinam, alii 1102 mores, alii mirantur miracula. Ego quidem congruum his omnibus honorem defero: sed præ omnibus, quantum in me est, hoc sublimius duco, hoc propensius prædico, quod cum esset vas electionis, et nomen Christi coram gentibus et regibus ferret intrepidus, cum obedirent ei principes mundi, et ad nutum ejus in omni natione starent episcopi; cum ipsa Romana Ecclesia singulari privilegio ejus veneraretur consilia, et quasi generali legatione concessa subjecisset ei gentes et regna; cum etiam, quod gloriosius judicatur; facta ejus et verba confirmarentur miraculis; nunquam excessit, nunquam supra se in mirabilibus ambulavit: sed de se semper humiliter sentiens venerabilium operum non se auctorem credit, sed ministrum; et cum esset omnium judicio summus, suo sibi judicio constituit infimus. Soli Deo quidquid fecit ascripsit: imo se nihil boni aut velle, aut posse, nisi inspirante et operante Deo, et sensit, et dixit. Sed aderat vis divina in tempore accepto, et in die salutis, segregans in Evangelium suum servum suum, cujus humilitatem respexerat, cujus animam Spiritus sanctus ornaverat: et quia sinceritatem ejus nulla maculabat duplicitas, nec interrompebat bonum ejus quælibet conspersio falsitatis, in loco suo idem spiritus manebat immobilis.

26. Qui ut semper splendidior esset et purior, quotidie in fornace probabatur, et ne quid ei rubiginis obreperet, crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, flagellabatur, et arguebatur, non ad poenam pro crimine, sed ad gloriam pro virtute. Nunquam ei defuit stimulus aegritudinis. Et cum seiret virtutem in infirmitate perfici, sufficientem sibi in hoc experiebatur gratiam, quod videret suos omnes quantulumcumque extraordinarios motus lima illius quotidiana afflictionis abradi. Erat quidem caro infirma, sed spiritus promptus: et quominus in corpore poterat delectari, amplius delectabatur in Domino; nec aliqua saeculi hujus ambitione pulsabatur, qui solis caelestibus inhiabat. Quot Ecclesiae destitutae pastoribus, eum sibi in episcopum elegerunt? Elegit eum domestica Lingonensis Ecclesia, elegit Catalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis, et Mediolanum metropolis Ligurum, huic optaverunt pastorem et magistrum. Remi, nobilissima Franciae civitas, secundae Belgicae provinciae caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animam ejus honor oblatum, nec motus est pes ejus ut inclinaret se ad gloriam; nec magis eum delectabat tiara et annulus, quam rastrum et sarculus.

27. Petentibus se nec annuens aliquando, nec insolenter aut improbe renuens, dicebat se non esse suum, sed aliorum servitio deputatum. Quae res cum referretur ad fratres, respondebant: « Nos omnibus quae possidebamus venditis, inventam pretiosam margaritam comparavimus: ad patrimonium distraeta redire non possumus. Quod si et pretium et appreciatum nobis perierit, et substantiis, et margarita privati fuerimus: expectationi nostrae male provisum est, si oleo nostro effuso, clausis januis sicut fatui mendicemus. » Providerant etiam sibi ex consilio sanctissimi fratres, et domini Papae auctoritate muniti erant, ne quis gaudium suum tollere posset ab eis, et aliorum consolatio eis fieret tribulatio, et eorum inopia aliorum plenitudinem cumlaret. His aliisque rationibus servi Dei expugnaverant petitores, et jam divulgatum erat ubique, Abbatem sic statutum in Ecclesia a Deo, sicut in Hebraeorum populo Moyses fuit, qui cum non esset pontifex, Aaron tamen unxit et sacraavit pontificem; et dispositionibus ejus tota Levitica omni tempore successio paruit,

CAPUT V.

De reditu Bernardi ex Italia, et de monasterii Clarae-Vallis in locum capaciorem translatione.

28. Jam Alpestrascenderat (an. 1135), et descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, et armentarii, et agreste hominum genus, et conclamabant a longe benedictionem petentes: et reptabant per fauces montium, regredientes ad caulas suas, colloquentes ad invicem **1103** et gaudentes, quod Sanctum Domini vidissent, et manu

A ejus super se extensa optatae benedictionis gratiam accepissent. Tandem Chrysoptin (38) veniens, usque Lingones solemniter deducitur: circa quos fines fratres ei Clarae-Vallenses occurrunt, provoluti genibus, surgunt ad oscula; et vicissim ei colloquentes, Claram-Vallem eum deducunt alacriter. Adsunt fratres congregati in unum, et mira devotione dilectum Patrem suscipiunt. Agitur sine tumultu cum omni gravitate laetitia. Facies quidem purior hilaritatem dissimulare non poterat: sed castigatus actionum et locutionum modus metas proprias non transgrediebatur, et cohibebant se affectiones ipsae, ne quid agerent, in quo dissolutionis nota religionis maturitatem offenderet. In tanta Abbatis mora nihil in Clara-Valle potuit diabolus texere, nihil interim rubiginis sinceris affricuit mentibus; nec in aliqua parte domus Dei supra petram fundata mota est. Ita opus suum Servus Dei absens corpore, praesens spiritu, orationum instantia munierat et solidarat, ut nec rima aliqua in tantis constructionibus hiscere videretur. Nullae in adventum ejus lites servatae sunt, non odia nutrita in praesentia judicis eruperunt. Nihil juniores adversus priores de austeritate vel duritia, nihil priores adversus juniores de dissolutione aliqua vel remissione causati sunt. Integer universorum status, concors societas, vera unitas; omnes unius moris in domo Dei, in pace et sanctimonia inventi sunt, ascendentes scalam Jacob, et festinantes ad intuitum Dei, ejus delectabilis aspectus in superioribus eminebat. Abbas itaque non immemor ejus qui ait: *Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de caelo* (Luc. x, 18); eo humilior erat, et subjectior Deo, quo intelligebat desideriis suis Deum adesse propitium. Nec de hoc in se gloriabatur, quod subiciebantur ei daemones: quin potius in Domino gaudebat, quod nomina fratrum suorum scripta videbat in caelo, quorum unanimitas immaculatam se ab hoc saeculo custodiret.

29. Aderant ei in consiliis venerabiles fratres sui; aderat Godefridus Prior ejusdem loci, propinquus ejus in carne et spiritu, vir sapiens et constans, qui etiam religionis et prudentiae merito postea in Ecclesia Lingonensi factus episcopus, et sanctitatis formam retinens, et dignitatis in qua est honorem non minuens, usque hodie ingrediens et egrediens laudabiliter perseverat. Hic ergo atque alii plures viri providi, et de communi utilitate solliciti, Virum Dei, cujus conversatio in caelis erat, aliquando descendere compellebant, et indicabant ei quae domus necessitas exigebat. Insinuant itaque ei locum angustum et incommodum in quo consederant, nec capacem tantae multitudinis; et cum quotidie catervalim adventantium numerus augetur, non posse eos intra constructas recipi officinas, et vix oratorium solis sufficere monachis. Addunt etiam se considerasse inferius aptam planitiem, et opportunitatem fluminis quod infra illabitur, ibique locum esse

(38) Gall. Besançon.

CAPUT VI

De schismate Aquitaniae, opera Bernardi composito; et femina ab incubo daemone mirabiliter liberata.

32. Laborabat ea tempestate sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis Ecclesia: et non erat in Aquitania qui posset resistere principi, cujus animum induraverat Deus; qui, annuente Gerardo Engolismensi episcopo, et instillante in cor ejus dissensionis semina, factus est schismatis defensor et auctor (an. 1135). Quicumque susceptioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus multabantur, alii a sedibus propriis pulsati exsulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris persuasionibus [al. suggestionibus], quasi serpens antiquus, veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis apostolicae fuerat legatus, et nunc a magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suae solius Ecclesiae episcopum, qui se viderat totius Aquitaniae principem et magistrum. Erubescerat enim ad primam domum redire, cujus potentatui et Turonica, et Burdegalensis, et Auxiensis provinciae subjectae fuerant, et quidquid a collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur et claudit Oceanus, paruerat ejus imperio. Consuetus igitur praedari provincias, et sub titulo justitiae de causis emergentibus facere quaestum, infinitas aggregarat pecunias, quae sibi erant in idolum et in apostasiae simulacrum. Videns itaque periisse sibi exactionum auctoritatem, et solam domum, quae nuper multis stipata clamoribus, jam carebat aerariis; impatienter ferens quod manus ejus non implerentur muneribus, homo serpentinae astutiae, festinato ad Petrum Leonem misit, ut ei legationem concederet, et ipse ei fidelitate jurata obedi-

ret: insuperet principem terrae, et quoscunque posset, ad ejus imperium inclinaret. Gavisus homo perditionis, quia locum, in quo dilaret malitiam suam, se invenisse putavit, cito annuit; et libenter ei etiam in adstipulationem erroris Gilonem Tusculanum cardinalem episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi episcopo ei adhaererat, celeriter delegavit. Porro Gerardus ipse, qui prius se mutilatum dolebat, resumpsit cornua, et deinceps cepit securior et audacior apparere. Nam et, quod ante non fecerat, publice procedebat mitratus, ut ipsa sacri officii insignia ampliore ei reverentiam in populos vindicarent. Aggreditur ergo Comitum multis pecuniis, invadit animam **1105** ejus rationibus venenatis, et hominem promptum seducit facile et corrumpit. In primis ab urbe Pictavensi Guillelmus episcopus, vir honestus, homo catholicus, in societate et defensione universalis Ecclesiae stabilis, violenter expellitur, et a Gerardo cardinale et adjutore suo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant et aliae familiares causae, pro quibus ei a multo tempore Comes infensus, data occasione, libentissimo

33. Audivit hoc sanctae memoriae nobilissimus princeps Theobaldus, et multa in sumptis dedit, et ampliora spondit subsidia. Audierunt episcopi regionum, et viri inelyti, et negotiatores terrae, et hilari animo sine exactore ultro ad opus Dei copiosa contulere suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operariis, ipsi fratres per omnia incumbebant operibus. Alii caedebant ligna, [(40) alii lapides conquadabant, alii muros struebant,] alii diffusis limitibus partiebantur fluvium, et extollebant saltus aquarum ad molas. Sed et fullones, et pistores, et coriarii, et fabri, alique artifices, congruas aptabant suis operibus machinas, ut scaturiret et prodiret, ubicunque opportunum esset, in omni domo subterraneis canalibus deductus rivus, ultro ebulliens; et demum congruis ministeriis per omnes officinas expletis, purgata domo ad cardinalem alveum reverterentur quae diffusae fuerant aquae, et flumini propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate consummati sunt muri, totum monasterii ambitum spatiosissime complectentes. Surrexit domus, et quasi animam viventem atque motabilem haberet nuper nata ecclesia, in brevi profecit et crevit.

(40) Codex Corbeiensis, domus ista parata est sublimis est ecclesia, domus lapideae, etc.

(40) Uncinis inclusa ex ms. Corbeiensi desumpta sunt.